Keilii·De Libris Manv Scriptis Catonis de Agri Cvltura Dis-
putatio, 1882

INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA HALENSI
CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLXXXII

A DIE XV. M. APRILIS AD DIEM XV. M. AVGVSTI A. MDCCCLXXXII

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

INEST

(Gottfried Theodor) HENRICI KEILII

DE LIBRIS MANV SCRIPTIS CATONIS DE AGRI CVLTVRA DISPVTATIO.

HALAE

FORMIS HENDELIIS.

1882.

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE
RECTOR
E D V A R D V S R I E H M
CVM SENATV
S. D.
CIVIBVS SVIS.

In Catonis et Varronis de re rustica libris lectiones antiquissimi codicis, quas Angelus Politianus in principe editione, quae Venetiis anno 1471 facta est, adnotaverat, ad priscam et genuinam scripturam restituendam plurimum valere a peritis harum rerum iudicibus intellectum est, ubi primum excerpta Politiani a Gesnero, qui ea ab Henrico Brenkmanno descripta habebat, anno 1775 in editione scriptorum rei rusticae edita sunt. Gesnerus autem, ut omnem scripturae varietatem in his libris ante oculos poneret, una cum lectionibus a Politiano ex duobus codicibus excerptis (nam praeter antiquum codicem quem dixi alterum aliquanto recentiorem adhibuerat) omnem discrepantiam impressorum antea exemplarium adnotavit. quod quidem in principe editione, qua in excutiendis libris manu scriptis Politianus usus erat, haud dubie ad rem pertinebat. nam Gesnerus tum, cum a sua editione ea quae Politianus adnotaverat discrepabant, haec adscripto eius nomine in adnotatione exhibuit; in reliquis, ubi impressorum librorum lectiones adposuit neque quid a Politiano mutatum esset indicavit, hoc instituto significari volebat principem editionem ita ab illo correctam esse, ut cum sua lectione eius excerpta consentirent. cumque ipse editionem sequeretur Petri Victorii, qui libros ex eodem vetere codice, quo ante eum Politianus usus erat, emendatos ediderat, plurimas lectiones quae ab hoc adnotatae erant iam in textum receptas invenit, ex antiquioribus autem editionibus magnam lectionum diversarum molem in adnotatione coacervavit. quo factum est ut ii qui post Gesnerum in his libris operam conlocaverunt in errorem inducerentur, ut illis quoque aliquam auctoritatem tribuendam putarent, quandoquidem codicum manu scriptorum lectiones, ut ait Schneiderus, antiquissimis editionibus fideliter expressas esse sibi persuaserant. acrius tamen iudicantes iam olim perspexerant uno codice a Politiano et Victorio excusso omnem scripturae nobis traditae memoriam contineri eaque quae ab illa recederent vel coniecturis tribuenda esse editorum vel corruptelis librorum manu scriptorum, quibus illi in editionibus parandis usi erant. certius et de auctoritate codicis et de fide Politiani tum iudicari poterat, cum reperto ipso exemplo principis editionis quod Politianus adnotaverat et conlatis libris manu scriptis qui nunc supersunt intellectum est, qua ratione ille in excutiendo codice usus sit.

Itaque cum mihi adparuisset ex Politiani codice omnes qui nunc supersunt libros ductos esse, neque vero ipsum archetypum ea diligentia, quam nos desideramus, ab illo plane excussum esse vidissem, ad fidem eius supplendam vel confirmandam apographa eiusdem codicis adhibenda erant. his rationibus ductus nuper Catonis librum ad fidem archetypi exactum edidi. de libris qui mihi ad eam rem parati erant tum dicam, cum Varronis libros similiter ad fidem codicis exactos addidero. interim hac scribendi occasione, quae mihi oblata est, utar, ut ea quae legentibus opus esse videbuntur exponam.

Politianus igitur, ut dixi, duobus codicibus usus est. sed eorum unum antiquissimum, quem supra dixi, cum edito exemplari ita contulit, ut omnem scripturae discrepantiam adnotaret, ex altero pauca, quae maxime memorabilia videbantur, adscripsit et rubro colore exarata ab illis quae antea ex priore codice atramento usus adnotaverat distinxit. de priore codice in fine librorum Varronis subscripsit haec, *Contuli ego Ang. Politianus: Catonis hos, ac Varronis rerum rusticarum libellos: cum uetustissimo codice: ex Diui Marci, Florentina bibliotheca: sic ut ne ea quidem non ascriberem Si qua deprauatiora viderentur. hoc enim nobis emendandi nouos codices institutum placuit: ne quid ex nostro temere adiceremus, neu quid omitteremus, quod in antiquioribus exemplaribus inuenissemus. Quod si hoc priores librarii institutum probassent, non tantum profecto negotii laborisque posteris reliquissent. Sicubi ergo nostrum adhibuimus iudicium, relictis tamen antiquae lectionis vestigiis aliquibus: suum cuique liberum reliquimus. Vale lector: et meum hunc laborem, Boni Consule. Florentiae In Diui Pauli ipso bacchanaliorum Die! MCCCCLXXXII: Anno Altero scilicet nostrae publicae professionis: cum Ouidianos fastos: et Ciceronis Ad herennium Rhetoricos libros enarrabamus: ac graece linguae rudimenta Florentinae iuuentuti dictabamus.* praeterea ad Varr. III 17, 24 *tubicinem graecum* de defectu codicis, quo reliqua pars perierat, scribit haec, *hactenus cum uetustissimo codice emendaui. nam reliquum in illo quidem deest.* eiusdem codicis mentionem fecit miscell. c. 35, *hoc ego in uenerandae uetustatis exemplari e publica gentis Medicae bibliotheca sic inuenio* (Varr. I 48): *In Euhemeri libris uersis*. diem bacchanaliorum autem, quo opus a se perfectum esse scribit, dicit vigiliam ieiunii quadragesimalis, qui dies fuit illo anno dies XX mensis Februarii. aliquot mensibus post inspexit alterum codicem, de quo post illam priorem subscriptionem item rubrica, sicut in ipsis codicis excerptis, usus scripsit haec, *Contuli et cum altero semiuetere codice. sed mendosiore. Vnde scilicet ea sumpta sunt quae uideas rubrica esse notata. Anno eodem. Mense Decembri: . Ang. Idem.* lectiones duorum codicum diverso scripturae colore satis certo distinctae sunt, paucis quidem locis exceptis, in quibus propter subfuscum atramenti colorem videbatur dubitari posse, ex utro codice id quod adscriptum est depromptum esset. quamquam Gesnerus vel is quem ille auctorem secutus erat interdum etiam, ubi nulla dubitatio erat, in ea re erravit, cum priori codici tribueret quae ad alterum pertinebant. sed ut de fide eorum quae ex Marciano codice adscripta sunt recte iudicetur, sciendum est, quem ad modum in iis adnotandis Politianus versatus sit. nam plerumque singulas vel paucas

litteras, ad quas discrepantia scripturae pertinebat, in edito exemplari subducta lineola notavit et quod pro his in manu scripto libro legebatur superscripsit. siquid in editione additum inveniebat, quod in codice non legebatur, item subducta linea notavit. tum, cum gravior erat discrepantia, integram codicis lectionem in margine adscripsit et quo illa pertineret signis quibusdam additis indicavit. in hoc igitur adnotandi negotio interdum minus diligenter rem gessit, cum ea quae ex manu scripto libro deleri vel mutari volebat non plane accurate significaret neque omnia quae in uno vocabulo aliter scripta invenit mutaret, sed quaedam ad fidem codicis corrigeret, alia sic, ut in editione habebantur, relinqueret. inscriptiones, quibus capitula librorum in principe editione distincta sunt, in Catonis libro ita, ut in codice eas scriptas invenerat, correxit, numeros ab editore additos delevit. in iis locis, in quibus integras inscriptiones ex codice descriptas exhibuit, plerumque anteposita *R* littera rubricarum loco eas habendas esse significavit. in Varronis libris et numeros capitum et ipsos titulos delevit. alterius codicis lectiones numero paucae et rubrica exaratae similiter partim in marginibus partim inter lineas scriptae sunt. praeterea singula verba eiusdem Politiani manu saepe in marginibus scripta sunt, quibus ille partim argumenta rerum, de quibus agitur, breviter indicavit, partim verba antiqua vel aliquo modo memorabilia notari voluit. in his modo atramento modo rubrica usus est. pauca autem sunt, quae, quoniam eandem scripturam atque excerpta Marciani codicis referunt, dubitari potest an ex marginibus manu scripti libri petita sint. reliquorum scriptura ab excerptis utriusque codicis diversa est, et alia quidem Politianus, antequam manu scriptos libros adhibebat, scripsisse, alia postea addidisse videtur. denique etiam coniecturas nonnullas rubrica quidem, qua ipsa in recentiore quoque codice conferendo usus erat, exaratas adscripsit. quas coniecturas quamquam anteposita nota *c* a lectionibus codicis distinxit, tamen non prorsus accurate illas separavit, sed cum eo consilio eum librum adhibuisset, ut corruptam antiqui codicis scripturam, si fieri posset, ex eo emendaret eodemque tempore, ut videtur, siquid ipse coniectura invenerat, adscriberet, non constanter, quid ipse coniecisset, quid in codice scriptum invenisset, indicavit.

Post Politianum iisdem codicibus usus est Petrus Victorius, qui anno 1541 primum Catonis et Varronis libros, deinde etiam Columellae et Palladii libros edidit eique editioni insequenti anno addidit explicationes suarum in Catonem Varronem Columellam castigationum Lugduni apud Sebastianum Gryphium. is igitur in praefatione explicationum de libris manu scriptis in Catone et Varrone a se adhibitis scripsit haec, quae hoc loco repetam, propterea quod nemo accuratius veterem codicem descripsit.

QVIA hunc laborem non ingenii, aut doctrinae ostentandae causa, sed optimum auctorem, eiúsque studiosos adiuuandi suscepi: cupio in primis fidem meam probari. Nam si mediocris diligentiae laudem assequi potuero, non frustra mihi in tam molesto negotio uersatus uidebor. Quibus igitur auxiliis usus sim, et quomodo me in hac re gesserim, explanabo. Auxilia autem Vetusti libri fuerunt, sine quibus ne dum hoc opus aggressurus fuerim, uix hos rerum rusticarum scriptores, ut accuratius legerem, in manus unquam cepissem: omneis enim omnium conatus sine illorum ope aut irritos

esse, aut parum progredi posse puto. Vetustissimum uolumen est in diui Marci bibliotheca, in quo M. Catonis unus liber est, quem de Re rustica scripsit: ac tres M. Terentii Varronis, Rerum item rusticarum. Is unus liber, ut uerum fatear, et ut ueris laudibus ipsum ornem, maiores mihi utilitates praebuit, quam uniuersi alii: superat enim reliquos, quos habui, longo interuallo, et uetustate, et fidelitate. Nec tamen cuncti, qui in eo continebantur auctores, ad nos peruenerunt: nam duo toti uetustate collapsi sunt, et M. Varronis extrema etiam pars defecit. Quemadmodum autem ex uetere inscriptione, quae in fronte libri est, cognoscimus, Iuni Moderati Columellae XII libri illic etiam erant, et unus ante illos Claudi Martialis: literae tamen et antiquitate, et frequenti attritu in prima parte libri ita deletae sunt, ut rubricam superinducere opus fuerit (rubrica enim notatae huiuscemodi inscriptiones in eo sunt) quare macula aliqua in his nominibus esse potest. Martialis tamen aperte legitur. Martialem autem ueterem fuisse rei rusticae scriptorem, testimonio etiam Palladii didicimus. Seruius quoque Vergilii interpres cum locum illum e IIII Georgicorum declararet, — atque aliis post commemoranda relinquo: inquit: Gargilium Martialem significat. Sitne idem Palladii, et Seruii, Martialis, studiose quaerere nunc minime oportet. Hoc autem relinquere nolui, quin notum facerem, ut uetustas huius libri intelligeretur, qui illis temporibus scriptus fuit, quibus alii adhuc scriptores reperiebantur, qui postea negligentia hominum, aut seculorum iniquitate perierunt. Ille autem si totus integerque conseruatus esset, et Iunium Columellam fortasse emendatiorem, et alium quo caremus, non negligendum scriptorem haberemus. Habui etiam eosdem auctores in alio uolumine, non adeo uetusto, neque adeo fideli, quod literis Gallicis scriptum uidebatur. Id autem e Medicaea bibliotheca prompsi, et non paucos item alios qui illic custodiuntur, quos nunc necesse non est omnes nominare. De uno autem tantum, qui diligenter exaratus fuit, et e bono exemplari exscriptus Patauii, non tacebo. Francisci autem Barbari, patricii Veneti, quondam fuit: et eius studio in ea urbe, in qua doctrinarum domicilium est, diligenter descriptus fuisse illic traditur. Hi sunt praecipue codices, quorum auctoritate usus sum: nam alii, aut de optimo illo descripti, aut ita mendose et negligenter scripti sunt, ut eorum testimonium paruum pondus merito habiturum fuerit. Quomodo susceptum negotium administrarim, ex singulis nunc explicationibus meis apparebit.

Quantum Marciano codici prae reliquis tribuerit declaravit adnotatione ad Varr. III 17, 24. *Optimus, ac uetustissimus codex,* Tubicinam Graecum. *Quae postrema uerba in eo sunt: reliquum enim libri defecit. Hinc autem integritas eius codicis intelligi potest, quod extremum hunc librum multae, ac magnae maculae statim occuparunt: quae antea superstite illo non tam licenter uagabantur, aut si improbius se extulissent, poterant coerceri. Ipse nunc eo praesidio destitutus, quid faciam, non habeo: quamuis enim plures manu scriptos libros consulere possim, certum tamen ducem, quo confidam non habeo: ille autem saepe mihi in malis rebus subuenire solebat. Sed maius etiam damnum fecimus, quod antiquus rei rusticae scriptor, si hic liber temporis iniurias subter-*

fugere potuisset, una cum eo conseruatus esset : et alium, quem tamen habemus, emendatiorem ut puto, haberemus.

Pro fundamento autem novae editionis Victorius editionem Aldinam anno 1514 a Iucundo Veronensi factam, in qua plurima ab editore partim ex manu scriptis libris partim coniectura mutata erant, habuit. haec enim et tum maxime pervulgata erat et a Victorio ita expressa est, ut universam verborum scriptionem et distinctionem quae in illa est repraesentaret. atque etiam lectiones quasdam Aldinae editionis proprias neglecta codicum scriptura saepe recepit, ut Cat. 113 *instipato* pro *instipa*, 131 *Dapem pro bubus piro florente facito* pro *piro florente dapem pro bubus facito*, 156 *dum quinquies quinque numeres* pro *dum quinque numeres*, vel in adnotationibus lemmatis loco posuit, ut Cat. 39 'Et uiti sicca alligato. *Sic in una editione: in altera* Et nisi sicca'. nam *uiti* in Aldina editione, *nisi* in prioribus legitur. itaque cum Victorius ita rem egerit, ut Aldinam editionem adhibitis codicibus, in primis Marciano, corrigeret, sequitur ut quae cum illa consentiunt ex edito exemplari ab eo recepta, non ex manu scripto libro petita sint. sed novas lectiones, quae in Aldina editione non inveniuntur neque ex exemplaribus antea inpressis peti poterant, libris manu scriptis, in primis Marciano codici, debuit. denique praeter haec quae in editionem recepit in nonnullis locis, de quibus in explicationibus disputavit, lectiones codicis indicavit.

Ex libris manu scriptis qui nunc supersunt antiquissimus est Parisinus 6842 A, qui Catonis et Varronis libros saeculo duodecimo exeunte vel ineunte tertio decimo in membranis scriptos continet. qui codex quoniam rectius quam reliqui scripturam archetypi, de quo quaerimus, expressam refert, non inutile videtur formam libri describere accuratius. est igitur foliorum sexaginta quattuor formae quadratae. scriptura librarius usus est accurata, sed parum aequali. nam in aliis paginis maior, in aliis minor est versuum numerus a duodequadraginta, si recte numeravi, versibus usque ad quadraginta sex. quo factum est ut propter minutam litterarum figuram, infuscatis praesertim membranis, in nonnullis locis difficilius legatur. distinctio verborum valde incerta et saepe omissa, pro *ae* constanti usu *e* scriptum est. in figura litterarum vel in compendiis scripturae nihil inveni, quod iure possit ad aetatem ineunte tertio decimo saeculo inferiorem referri. quod iudicium collega artis palaeographicae peritissimus Guilelmus Schum examinatis singularum litterarum formis et collatis aliis codicibus, de quorum aetate certo constabat, etiam magis confirmavit. idem habitum membranarum et rationem scribendi contemplatus probabile esse adseveravit in Italia scriptum esse librum. in prima pagina eadem manu, qua ipse codex scriptus est, rubro colore scripta sunt haec, *In hoc codice infra scripto libri continentur de re Rustica* | *M. Catonis liber unus Terentii Varronis libri III.* sequitur index capitulorum Catonis additis numeris, *I Quomodo agrum emi pararique oporteat — CLXX De salsura ofelle puteolane;* deinde prooemium Catonis, in quo memorabile est librarium simili scribendi genere atque in titulis capitulorum usum esse. nam in hoc quoque, sicut in illis, verba spatiis quibusdam relictis et numeris interpositis distincta sunt, *Est interdum pre-*

stare mercaturis rem querere nisi tam periculosum sit. Et item fenerari si tam honestum sit XVI Maiores nostri sic habuerunt et ita in legibus XVII posiuerunt sqq. Catonis liber distinctis intermisso spatio capitulis et adpositis in margine numeris capitulorum scriptus est. rubricae suis locis, ubi spatium scriptura vacuum eius rei causa relictum erat, postea eadem manu additae sunt, praeposita in prima parte libri littera *R*, quae in posteriore parte plerumque omissa est. post Catonem libri Varronis scripti sunt ita, f. 22 v. *M. CATONIS DE AGRICVLTVRA FXPLIcit feliciter | Varronis Rerum Rusticarum de agricultura liber | I incipit feliciter — hoc quem exposui habito. M. Varronis Rerum RVSTICARVM LIB. III. EXPLICIT.* | *Finito hoc libro gratias Referimus XPO . Amen.* | *Sicut nauiganti dulcis est portus ita scriptori nouissimus Versus.* ibi quoque primo libro index capitulorum praescriptus est, non additis tamen, sicut in Catonis libro, numeris. neque in ipso libro rubricae repetitae vel distinctio capitulorum facta est, sed omnia continuo scripta sunt: pauca, quae ad argumentum rerum quae tractantur indicandum vel ad distinctionem partium significandam pertinent, in marginibus adnotata sunt. eadem est ratio secundi et tertii libri, quibus index capitulorum praescriptus non est. in prima scriptura multa eadem manu correcta sunt litteris vel verbis quae antea omissa erant superscriptis vel in margine additis. atque haec quidem ut eiusdem librarii manum referunt, ita haud dubie ex eodem archetypo, quod librarius denuo contulisse cum prima scriptura videtur, petita sunt. ab iis diversa sunt alia, quae multo recentiore tempore vel in ipsis verbis correcta vel in marginibus adscripta sunt, quae mihi quinto decimo saeculo non antiquiora esse videbantur.

Iam vero ex archetypo codice, quem Politianus et Victorius usurpaverunt, accurate descriptum esse Parisinum consensus docet plurimarum lectionum, quas illi ex Marciano codice attulerunt. nam etiamsi in libro mendose scripto multa inveniuntur scripturae vitia, quae archetypo tribui nequeunt, tamen sciens nihil omnino librarius mutavit, sed cum et rerum et verborum quae describebat parum intellegens esset, saepe ignorantia vel neglegentia lapsus est, ceterum ea quae scripta invenit in suum exemplum qua maxima poterat fide transtulit. atque etiam quae in margine veteris codicis adscripta vel correcta erant repetivit. cuius rei exempla ex duobus Catonis locis deprompta adscribere sufficiat. c. 95 *convolvolus non nascetur:* 'in margine optimi exemplaris eadem manu qua liber exaratus est' *nocebit* adscriptum esse Victorius adnotavit. *nascetur* superscripto *nocebit* habet Parisinus codex. c. 112 *tum sumito aquam marinam q . s . s . e, in dolium quinquagenarium infundito aquae marinae Q. X. tum acina de uvis miscellis decarpito de scopione.* in margine primum ad *Q . X* adscriptum erat *quadrantalia,* quamquam illud aperto errore ad *q . s . s . e* (h. e. *quae supra scripta sunt*) adnotavit Politianus; deinde pro *de scopio* auctoribus Politiano et Victorio correctum *de scopione.* utrumque in margine Parisini codicis adscriptum est. item paulo post *id vinum condito in dolia lauta pura et sicca,* ubi ad v. *pura* in margine adscriptum fuisse *curata* Politianus et Victorius testantur, idem vocabulum a v. *lauta* adscriptum est in margine Parisini libri.

Ceterum eundem codicem olim I. F. Gronovius cum Comeliniana Catonis editione contulerat, quam Schneiderus a Ruhnkenio ad se missam, ut scribit praef. p. 8, habebat. nam ex hoc codice petitae sunt lectiones Gronoviani quem dicit codicis, quas in adnotationibus interdum commemoravit. neque diversus ab eo est Parisinus 6028, cuius ibidem p. X in Varrone mentionem facit: hoc numero enim liber olim notatus erat. alter autem codex Parisinus 5992, quem idem Schneiderus commemoravit, nunc est 6149. antiquiore illo etiam Mercerum in adnotationibus ad Nonium usum videri animadvertit Schneiderus.

Ad aetatem Parisini codicis proxime accedit Laurentianus 30,10 quarto decimo saeculo scriptus, qui post Vitruvii libros de architectura habet Catonis et Varronis libros: cf. Bandini catalog. cod. lat. bibl. Laurent. v. II p. 73, sed is non solum neglegentissime scriptus et multis scribendi vitiis inquinatus est, sed etiam manifesta coniectura mutatam scripturam saepius exhibet eaque de causa ad cognoscendam scripturam archetypi parum utilis est. neque enim dubitari potest quin is quoque ex eodem archetypo, ex quo reliqui derivati sunt, originem duxerit. quaedam, quae apertum describentis vitium prae se ferunt, cum Parisino codice communia habet. e quibus memorabile est illud in Cat. c. 152, quod ea quae huic capiti praescripta erant, *q. a. m. Manlii monstraverunt*, in utroque ante rubricam in fine praecedentis capitis leguntur, in Laurentiano quidem hoc modo cum antecedentibus verbis coniuncta et corrupta, *tum denique a oh malii monstrauerunt.* hunc esse ipsum illum alterum codicem, quem ex Medicea bibliotheca depromptum praeter Marcianum Politianus et Victorius usurpaverunt, dixi obs. crit. in Cat. et Varr. p. 15. nam et quod de genere scripturae Victorius dicit, gallicis litteris eum scriptum esse, cadit in Laurentianum codicem, et lectiones quas uterque adnotavit consentiunt cum hoc. quamquam et Politianus multo minore diligentia usus est in hoc quam in illo altero, et Victorius raro a reliquis codicibus quibus usus est separatum eum appellavit.

Reliqua veteris codicis apographa quae supersunt omnia inde ab initio quinti decimi saeculi scripta sunt, postquam codex in Florentinam S. Marci bibliothecam delatus erat. scimus autem multos ex iis, qui illa aetate in describendis codicibus operam conlocabant parum diligenter rem gessisse, non nullos etiam, ut lectionem, quantum fieri posset, emendatam et facilem redderent, ea quae offendebant correxisse et pro vetere scriptura emendationes vel mutationes posuisse recentiorum. quapropter hoc genus librorum neglegentia et licentia librariorum corruptum ad restituendam scripturam archetypi, ex quo ducti sunt, minus aptum esse solet quam qui antiquiore tempore scripti erant. in Catonis et Varronis libris accedebat etiam illud, quod in vetere codice non solum ab ipso librario qui librum scripserat varias lectiones non nullis locis adscriptas fuisse accepimus, sed etiam postea haud dubie multa correcta erant, quorum partem ii qui librum describebant in sua apographa receperunt. denique vetusta archetypi scriptura propter insolitam neque satis certo adparentem litterarum formam difficultatem describentibus praebebat. quo factum est ut maxima pars librorum qui illo tempore ab Italis scripti sunt multis vitiis corrumperetur, et quamvis illi origine non longe diversi essent, tamen propter librariorum neglegentiam saepe inter se discre-

parent. non nulli autem ex his codicibus tum, cum vetus codex iam, sic ut eum postea Politianus et Victorius habebant, in fine mutilatus erat, ex eo descripti sunt eundemque defectum exhibent. alii, in quibus tertius Varronis liber integer habetur, aut ex ipso archetypo, priusquam illum defectum tulerat, descripti aut ex antiquioribus eiusdem libri apographis ducti sunt. ex antiquiore genere codicum, qui ante defectum codicis scripti vel ex antiquioribus apographis ducti sunt, habui duos Laurentianos 51, 1 et 2, ex recentiore, in quo sunt libri extrema parte mutilati, tres, Caesenatem vel Malatestianum 24, 2, Laurentianum 51, 4, Ambrosianum M 69. e quibus duo, quos postremo loco posui, solos Varronis libros, reliqui etiam Catonis librum continent. ceteros, quos ipse vidi vel quorum aliqua notitia ad me pervenit, una cum his quos modo dixi descripsi olim obs. crit. in Cat. et Varr. p. 5 sqq.

Antiquissimus autem ex his libris in Italia scriptis est Laurentianus 51, 1 membranaceus formae quadratae, quem Bandinius cod. lat. bibl. Laurent. v. II p. 525 quarto decimo saeculo scriptum esse dicit; mihi initium quinti decimi saeculi non superare videbatur. in iis quae postea in prima scriptura correcta vel in marginibus adscripta sunt, id quod maxime in primo Varronis libro saepe factum est, manum Nicolai Niccoli deprehendere mihi visus sum. alter Laurentianus 51, 2 in membranis formae quadratae eleganter scriptus plerumque lectiones archetypi a Politiano adnotatas satis accurate expressas exhibet, neque tamen interpolationibus caret. cuius rei in Catonis libro haec sunt exempla, 1, 7 *sic dicam] sic dicam tibi,* 4 fin. *materie adiuvabunt] materiae abundabunt,* 5, 4 *curet] cura,* 9, 1 *propter amnes] prope amnes,* 18, 4 *facito siet] facito uti siet,* 33, 1 *vineam sic facito ut curetur] uinea ut curetur sic facito,* 34 *postremum] postremo,* 51 *propagari eximique serique] propagari eximique ac seri,* 65, 1 *si inquinata erit] si inquinata fuerit,* 66 in. *sustuleris] subtraxeris,* 102 *medici] graeci.* in Caesenate codice, qui est membranaceus formae maximae, Catonis et Varronis libri post Columellam scripti sunt. sed in tertio Varronis libro extrema pars, quam in Marciano codice defectu membranarum deletam fuisse Politiano et Victorio auctoribus scimus, olim scripta non erat. nam primum in verbis III 17, 4 *tubicinam graecum* scribendi finem fecerat librarius, postea diversa paulum a superioribus scriptura usus ea quae restant addidit. praeterea in iis quae proxime antecedunt, ubi scriptura veteris codicis una cum illo membranarum defectu deleta vel oblitterata erat, lacunae quaedam relictae sunt. similiter in priore codicis parte, ubi scriptura archetypi non satis certo adparebat, relictis lacunis paucarum litterarum saepius defectus indicatus est. haec igitur cum ex ipso vetere codice apographum factum esse testari videantur, tum plurima sunt scripturae vitia, quibus in describendo archetypo librarius lapsus est. accuratius vero quam in his omnibus libris, de quibus modo dixi, in Varronis libris vetus scriptura expressa est in Laurentiano 51, 4, quocum plerumque Ambrosianus consentit.

Haec quae dixi praemittenda putavi, ut quibus rationibus ad restituendam archetypi lectionem in editione Catonis usus essem explicarem. itaque cum tres parati essent fontes, ex quibus notitia veteris scripturae haurienda esset, excerpta Politiani, editio Victorii, apographa ex archetypo descripta, primus locus haud dubie tribuendus erat Politiani testimonio.

sed quoniam incertior est Politiani fides in iis quae non mutata in principe editione reliquit, quam in iis quae ex manu scripto libro adscripsit, haec duo genera ita distinxi, ut ea quae ex codice adnotaverat *P* littera, quae in principe editione non mutaverat *V* littera significarem. deinde ut intellegi posset, ad quae vocabula vel ad quas litteras mutatio lectionis ab eo ex codice adnotata pertineret, ubicumque illius lectiones indicatae erant, etiam quid in principe editione legeretur indicandum erat, in quo mutatas ab eo lectiones *v* littera significavi. neque tamen opus esse videbatur omnia principis editionis vitia, quae a Politiano e codice correcta erant, memoriae prodere et integram discrepantiam editionis, in qua plurima sine ulla librorum auctoritate arbitrio editoris mutata sunt, adnotare. itaque ubi Politianus manifestas editoris interpolationes correxerat neque ulla erat in manu scriptis libris discrepantia scripturae, inutile erat corruptas impressi exemplaris lectiones cum correctionibus illius adscribere. sed ubicumque ad confirmandam auctoritatem receptae a me lectionis pertinebat, quod Politiani testimonio ita scriptum esse in archetypo constat, non piguit scripturam codicis ab illo indicatam addita lectione Venetae editionis in adnotatione repetere. quae a Victorio in explicationibus ex codice adnotata erant suo loco indicavi, plerumque etiam ipsa Victorii verba, quae quidem ad codicis lectionem pertinerent, repetivi. in ipsa editione Victorii eas lectiones, quae in exemplis ante eum impressis non inveniuntur, aliquam auctoritatem habere supra dixi. has igitur tum, cum propter aliquam causam dubitari de fide Politiani poterat, adposui. sed maiorem utilitatem in ea re praebebant apographa. quamvis diligenter enim Politianus in excutiendo codice versatus sit atque etiam ad levissimas res, quae olim in hoc negotio tamquam inutiles neglegi solebant, curam suam pertinere voluerit, tamen multa ab eo praetermissa neque eam diligentiam, quam nunc in iis libris, a quibus omnis scripturae fides pendet, iure desideramus, adhibitam esse certum est. nam non solum ea quae levioris momenti esse videbantur parum constanter tractavit, velut *inriguus* pro *irriguus, conlibare* pro *collibare*, *vilicus* pro *villicus, deicio* pro *deiicio, h* omissum vel additum et talia modo adnotavit, modo omisit, sed etiam in graviore codicis discrepantia quaedam ab eo praetermissa vel lectionem editionis neglegentius correctam esse dissentiens ab illo scriptura apographorum persuadet. ex his autem et antiquitate et fide scripturae reliquos superat Parisinus codex, cuius lectiones *A* littera significatae et quam fieri poterat accuratissime, ubicumque a recepta lectione discrepant, in adnotatione exhibitae sunt, ut unius codicis scriptura plane integra expressa extaret. ex iis tamen quae posteriore manu correcta vel adscripta sunt, quorum nulla omnino auctoritas est, quaedam omissa sunt. multo incertior est fides eorum librorum qui inferiore aetate in Italia scripti et librariorum neglegentia vel licentia graviter corrupti sunt. verum tamen quo certius de scriptura archetypi constaret, pro ratione instituti operis ne hi quidem omitti poterant, quandoquidem dissentiente apographo Parisino ab excerptis Politiani, praesertim siquid ab illo in principe editione correctum non erat, recentioribus apographis adhibitis diiudicandum est, quid a Politiano praetermissum vel minus diligenter indicatum, quid Parisini codicis errori tribuendum sit. sed propter plurimas horum librorum corruptelas, quas

dixi, neque unum aliquem in Catonis quidem libro (nam Varronis librorum condicio ab hac parte melior est) sequi licebat, neque in adnotandis eorum lectionibus eadem diligentia, qua in Parisino usus eram, opus fuit. quare tres ex hoc genere adhibui libros, Laurentianum 51, 1 *(f)*, Laurentianum 51, 2 *(b)*, Caesenatem *(c)*, quorum consentientes inter se lectiones communi signo *R* usus indicavi. nam quoniam ea fere sola quae communi omnium vel complurium consensu confirmata sunt aliquam auctoritatem habent, ea quae unius propria sunt plerumque omitti poterant. quamquam saepe accidit ut illae lectiones non possent nisi notis singulorum librorum separatim adpositis indicari. in quo illud moneo, unum Florentinum codicem *f* in illo genere, quod potius ad variam scribendi rationem quam ad discrepantiam lectionis pertinet, minus accurate quam reliquos duos excussum esse eaque de causa eius lectionem una cum illis non semper adscriptam esse. omnino autem Politiani rationibus hoc effectum est ut multa, quorum per se nullam auctoritatem esse facile adparet, tamen ad illius fidem vel confirmandam vel elevandam adscribenda essent.

Itaque ut repetam quod dixi, scriptura archetypi ita repraesentata est, ut quaecumque a recepta lectione in excerptis Politiani vel indicata codicis scriptura *(P)* vel non mutata principis editionis lectione *(V)* dissentirent adnotarentur, itemque et discrepantia Parisini codicis *(A)* et scriptura recentiorum apographorum, quae quidem omnium vel plurium consensu confirmata esset *(R)* exhiberetur integra. ea quae in uno vel altero ex recentioribus apographis vitiose scripta sunt tum, cum eorum testimonia adferenda erant neque communi signo comprehendi poterant, adscripta sunt. neque magis omnia principis editionis vitia quae a Politiano correcta erant indicata, sed ubi huius testimonium adferendum erat, ea quae in editione invenerat addita sunt.

Rubricas capitum, quibus Catonis liber in archetypo distinctus erat, in adnotationem reieci, ne vitia et in ipsa capitum distinctione et in verbis quae illis praescripta erant commissa in textu verborum repeterentur. sed ut in hac quoque parte archetypi ratio repraesentaretur, rubricas sic, ut in Parisino codice scriptas inveni, additis numeris et praescripta R littera in adnotatione exhibui. his propter excerpta Politiani addidi titulos principis editionis cum iis quae ab illo ex codice adscripta erant. ex recentioribus apographis unius Laurentiani codicis 51, 2 titulos adscribere satis fuit. Victorii titulos, quos ille ad fidem codicis sui exactos praescripserat, tum, cum propter aliquem dissensum reliquorum opus esse videbatur, addidi.

Longius hanc manu scriptorum librorum descriptionem non persequar, ne modum excedat haec disputatio. quare nec de ipsius archetypi forma et genere scribendi, quod quidem ex erroribus etiam apographorum cognoscitur, nunc dicam nec de rationibus emendandi disputabo. neque enim emendatam lectionem exhibere volebam, sed sublatis quidem vitiis, quibus maxime lectio impedita erat, certum emendationis parare fundamentum, ut quid quoque loco memoriae proditum esset quibusque auctoribus id dissentientibus etiam inter se libris confirmatum esset constaret.

I. Scholae Theologorum.

a. Professorum ordinariorum.

IUSTUS IACOBI, Dr.

I. Publice *Gnosticorum systemata* exponet die Sat. h. XII-I.

II. Privatim *1) historiae ecclesiae partem priorem usque ad Gregorium Magnum* enarrabit sexies p. hebd. h. XI-XII. *2) theologiam symbolicam (polemicam)* docebit quinquies p. hebd. h. XII-I.

III. In seminario regio theologico *exercitationes historicas* moderabitur die Ven. h. VI-VIII.

CONSTANTINUS SCHLOTTMANN, Dr.

I. Publice *geographiam Palaestinae* docebit die Ven. h. IV-V.

II. Privatim *archaeologiam Hebraicam* tradet quater p. hebd. h. III-IV. *2) populi Israelitici historiam* enarrabit bis p. hebd. d. Lun. et Iov. h. IV-V. *3) librum Jobi* interpretabitur quater p. hebd. h. mat. VII-VIII.

III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas V. T.* moderabitur. Praeterea iterum ejusdem sodalibus, qui ad *epigraphicen semiticam* incumbere cupiunt, inscriptiones interpretandas h. def. proponet.

IULIUS KOESTLIN, Dr.

I. Publice *Pauli ad Corinthios epistolam alteram* interpretabitur d. Sat. h. X-XI.

II. Privatim *1) Pauli priorem ad Corinthios epistolam* interpretabitur quinquies p. hebd. h. X-XI. *2) ethicen christianam* tradet quinquies p. hebd. h. VIII-IX.

III. In seminario regio theologico *exercitationes systematicas* moderabitur.

WILIBALDUS BEYSCHLAG, Dr.

I. Publice *artium inter Christianos primordia* (Altchristliche Kunstgeschichte) exponet d. Merc. h. XII-I.

II. Privatim *1) evangelium Ioannis* interpretabitur quinquies p. hebd. h. X-XI. *2) theologiae practicae partem priorem* tradet quaternis p. hebd. scholis h. XI-XII.

III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas N. T. et homileticas* moderabitur.

EDUARDUS RIEHM, Dr., Rector.

I. Publice *alteram Iesajani libri partem (cap. XL—LXVI)* explicabit d. Merc. h. III-IV et Sat. h. IX-X.

II. Privatim *1) psalmos* interpretabitur quinquies p. hebd. h. IX-X. *2) epistolam ad Hebraeos datam* explicabit quater p. hebd. h. X-XI.

III. Privatissime et gratis *societatis Vet. Testamenti studia colentis exercitationes* moderari perget d. Iov. h. VI. vesp.

HERMANNUS HERING, Dr., Decanus.

I. Publice *ex instituto Lenziano parabolas Iesu, usum praesertim homileticum spectans,* interpretabitur trinis p. hebd. scholis h. IV-V.

II. Privatim *Pauli ad Romanos epistolam* interpretabitur quinquies p. hebd. h. X-XI.

III. In seminario regio theologico *exercitationes catecheticas et proseminarium homileticum* moderabitur.

MARTINUS KAEHLER, Dr.

I. Publice *formulam docendi Ioanneam* tradet d. Sat. h. VIII-IX.

II. Privatim *1) theologiae dogmaticae partem priorem sive theologiam fundamentalem* docebit quinis p. hebd. scholis h. VIII-IX. *2) theologiam biblicam N. T.* quinquies p. hebd. exponet h. IX-X.

b. Professoris ordinarii honorarii.

GUILELMUS HERBST, Dr.

I. Privatim *Paedagogices superiorisque ordinis scholarum germanicarum historiam inde a saeculo XVI usque ad nostra tempora* enarrabit ter p. hebd. h. matut. VII-VIII.

II. Seminarii regii paedagogici *exercitationes* moderari perget d. Lun. Iov. h. V-VI.

c. Professorum extraordinariorum.

GUSTAVUS KRAMER, Dr.

Scholas non habebit.

PAULUS TSCHACKERT, Lic. theol. et Dr. phil.

I. Publice *fidei christianae in Asia propagatae historiam* adumbrabit d. Sat. h. XI-XII.

II. Privatim *1) historiae ecclesiasticae partem tertiam* quinis p. hebd. scholis enarrabit h. XI-XII. *2) Historiam dogmatum christianorum usque ad finem aevi medii* docebit quinquies p. hebd. h. XII-I.

III. Privatissime et gratis *Exercitationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes* instituet h. def.

d. Licentiati privatim docentis.

HERMANNUS FRANKE, Lic. theol.

Gratis *Pauli ad Galatas epistolam* interpretabitur d. Sat. h. VIII-X.

II. Scholae Iurisconsultorum.

a. Professorum ordinariorum.

CAROLUS WITTE, Dr.

Superiorum permissu a lectionibus vacabit.

HERMANNUS FITTING, Dr.

I. Publice *praecepta iuris Romani de ordine iudiciorum privatorum* tradet d. Sat. h. X-XI.

II. Privatim *1) institutiones iuris Romani* docebit quotidie h. IX-X. *2) processum civilem imperii Germanici* tractabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII-IX. *3) doctrinam de concursu creditorum* secundum ius imperii Germanici exponet d. Merc. Sat. h. VIII-IX.

ERNESTUS MEIER, Dr.

I. Publice *de constitutione imperii Germanici* disseret d. Sat. h. IX-X.

II. Privatim tractabit *1) ius publicum cum Germanicum tum Borussicum* d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX-X. *2) ius gentium* d. Merc. Sat. h. X-XI.

ALFREDUS BORETIUS, Dr., Decanus.

I. Publice *ius cambiale* docebit d. Merc. h. XI-XII.

II. Privatim *1) ius commerciorum Germanicum* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI-XII. *2) imperii et iuris Germanici historiam* enarrabit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XII-I.

GUSTAVUS LASTIG, Dr.

I. Publice, in seminario iuridico *exercitationes iuris civilis germanici* moderabitur d. Iov. h. IV-VI. *2) ius familiarum Borussicum* exponet h. def.

II. Privatim *1) ius Germanicum privatum* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. X-XI. *2) encyclopaediam iuris* tradet d. Merc. Sat. h. VIII-IX.

ERNESTUS ZITELMANN, Dr.

I. Publice *in seminario iuridico societati iuris Romani* praeerit d. Mart. h. VI.

II. Privatim *1) exercitationes iuris Romani exegeticas* instituet d. Lun. h. V-VII. *2) pandectas praetermisso iure hereditario et familiae* docebit et *exercitationes iuris pandectarum conversatorias* moderabitur d. Lun. h. XI-XII. d. Mart. Merc. Iov. Ven. Sat. h. X-XII.

b. Professoris extraordinarii.

FRIDERICUS SCHOLLMEYER, Dr.

I. Publice *ius familiarum commune Germanicum* exponet d. Merc. h. VIII-IX.

II. Privatim *1) ius Borussicum privatum* docebit quotidie praeter d. Sat. hor. VII-VIII. *2) historiam iuris Romani* enarrabit quater p. hebd. h. VIII-IX.

c. Doctorum privatim docentium.

CAROLUS A LILIENTHAL, Dr.

I. Gratis *exercitationes iuris criminalis* moderabitur d. Merc. h. IV-V.

II. Privatim *processum criminalem* tractabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX-X.

ADOLPHUS ARNDT, Dr.

I. Gratis *de vectigalibus et teloneis in imperio Germanico* disseret d. Mart. Ven. h. IV-V.

II. Privatim *ius administrationis Borussicum* tractabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI-XII.

III. Scholae Medicorum.

a. Professorum ordinariorum.

LUDOVICUS KRAHMER, Dr., Decanus.

I. Publice *artem formulas medicas concinnandi* tradet d. Merc. Sat. h. IX-X.

